

**TABULARIA ET ADNOTATIONES
PAROECIALES INITIO
EVANGELIZATIONIS LATINOAMERICANAE.
MODESTUM SERVITIUM IURIS
AD LABOREM PASTORALEM**

SUMMARIUM: Introductio. Legislatio canonica. Dispositiones hispanici gubernii. Praecipuae dispositiones dioecesis Merida de Maracaibo. Pondus et magnitudo adnotationum paroecialium.

Introductio

Occasione quintae centuriae ab initio evangelizationis continentis americani, multa scripta sunt per-vestigando, praesertim sub aspectu historico, illa magnifica gesta. Agitur quidem de factis et de veritatibus tam variis de quibus multimode considerationes fieri possunt.

Siquidem theologia pastoralis ad nostrum pertinet officium, placet aliquid modestum contribuere ex experientia pastorali in paroeciis, ut parochis iuvare possimus ut non modo normas canonicas sive generales sive singulares, ad sacramenta aliaque auxilia spiritualia suis fidelibus praebenda, quas bene cognoscunt, observent, verum etiam ut rite in libris paroecialibus conscribere velint conscribenda quo uberius adhuc animas iuvare possint.

Initia evangelizationis in America Latina practice non multum antecedunt Concilium Tridentinum (1545-1563), atque ministeria et structurae organisanda fuerunt necessario ab ovo. Certum est fontem hispanicam traditionem necnon tridentinas normas

pastorales in unum conspirasse ad praxes concretas missionarias stabiliendas. Inter alia, «Doctrinarii» vel parochi iam debuerunt, prout normae applicabantur, referre in tabulariis omnia facta, et documenta paroecialia accurate asservare. Quae documenta, testimonium eloquens praebere possunt (quatenus non destructa diversis temporum calamitatibus aut casibus infortunatis fuerint) incrementi in administratione sacramentorum (baptismorum, matrimoniorum), necnon defunctionum christianorum.

Infra videbimus et multiplicem laborem et praestantiam huiusmodi instrumenti pastoralis. Putamus utile esse, ad modum exempli loqui de una particulari Ecclesia Americae meridionalis, scilicet Mérida, ad montes Andes in Venezuela, in qua nostrum servitium pastorale praestamus. Tabularium archiepiscopale huius Ecclesiae praesentamus ut exemplar aptatum ad normas quae laborem pastorem regunt. Duo quidem exponere intendimus, imprimis iuridica fundamenta pro praescripto adnotationum in libris paroecialibus, deinde pondus aut momentum huiusmodi adnotationum.

Fundamenta iuridica pro praescriptis de adnotationibus in libris paroecialibus

Inter dispositiones generales depromptas a praescriptionibus Concilii Tridentini¹, quaedam inveniun-

¹ Habeat parochus librum — dicitur in sess. 24 in Canonibus super reformatione circa matrimonium, capite 10 — in quo coniugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat, quae diligenter apud se custodiat. In PEDRO RUBIO MERINO, «Tipología documental de los archivos parroquiales», en diputación provincial de Sevilla, Archivística. Estudios Básicos. Sevilla, 1981, p. 27.

tur ad ordinandas adnotationes paroeciales. Sed agebatur de dispositionibus ad usum quarundam regionum Europae christianae.

Paulatim, illae normae assumptae sunt, et vero praecepto impositae, in variis regionibus Americae. Tunc temporis non habebatur Codex unicus cum universali legislatione, ita ut singuli episcopi in variis regionibus americanis, illas applicabant ad proprias regiones. Legislatio particularis conciliorum Lima (Perú, anno 1551) et México (anno 1555) iam normas seu legislationem particularem continent de adnotationibus baptismorum, matrimoniorum atque defunctionum, simul cum libris de regimine seu gubernatione. In civitate Mérida, quae subiciebatur dioecesi Santa Fe in Bogotá, iam ab anno 1556 habentur normae quas prima Synodus dioecesis Santa Fe aptavit ex illis conciliis generalioribus².

Illae normae generales Concilii Tridentini afferebantur in Rituali Romano (1604) quod vixit usque ad celebrationem Concilii Vaticani II, post quod Concilium, singuli Ordines pro celebratione sacramentorum promulgati sunt³. Sub titulo I, capite unico, § 18 huius ritualis legebatur:

Postremo quisquis Sacramenta administrare teneatur, habeat libros necesarios ad officium suum pertinentes,

² Videatur CEILA, Historia General de la Iglesia en América Latina. Tomo VII, p. 131.

³ Rituale Romanum liber est officialis Ecclesiae Catholicae, continens ritus et omnes dispositiones ad ministranda sacramenta baptismatis, confirmationis, matrimonii; etiam ad exequias, plures benedictiones, normas de processionibus, litanias probatas et exorcismos. Inter appendices liber est nominatus «De libris a Parochis tenendis». Rituale Romanum 1604 permansit leviter modificatum usque ad celebrationem Concilii Vaticani II (1962-1965).

*eosque praesertim, in quibus variarum paroecialium functionum notae ad futuram rei memoriam describuntur, ut ad finem hujus Ritualis habetur*⁴.

In appendice vero quarta:

*Parochus habeat libros paroeciales, scilicet, baptismatis, confirmationis, matrimonii et defunctorum. Caveat etiam diligenter ut habeat libros de statu animarum et etiam diligenter, omnes illos libros probatos ab usu Ecclesiae aut praescriptos ab Ordinario*⁵,

indicans immediate data conscribenda in unoquoque librorum ante praedictorum.

Praescripta tridentina quae per tria saecula in usu fuerunt, in Codicem Iuris Canonici anni 1917 recepta fuere, sicut et nunc in vigente Codice⁶. Maioris momenti est etiam recolere quod secundum can. 535 § 5 «*libri paroeciales antiquiores quoque diligenter custodiantur, secundum praescripta iuris particularis*». Certe, secundum normas canonicas, archiva seu tabularia collocari debebant locis aptis, ita ut protegerentur a furtis, incendiis aliisque calamitatibus. Ad curam habendam huiusmodi documentorum etiam pertinebat praescriptum ne illa documenta in alia loca transmutarentur quae non invenirentur intra Ecclesiam vel paroecialem domum.

⁴ Rituale Romanum, Tit. I, Cap. Unic., n. 22.

⁵ *Ibidem*, Appendix, Pars. IV, Cap. I, 1.

⁶ Cf. cann. 470; 7 § 1, 1103. In vigente vero codice eadem fere dispositiones renovantur in can. 535 §§ 1-2; 877-878; 895; 1053 § 1133; 1182. EDUARDO F. REGATILLO, *Derecho Parroquial*. Circa libros paroeciales, videantur pp. 511-517; circa adnotationes baptismorum, pp. 195-198; circa adnotationes confirmationum, pp. 222-223; circa adnotationes matrimoniales, pp. 381-383; et circa librum defunctorum, p. 459.

Dispositiones hispanici gubernii

Iuxta Bullas ALEXANDRI VI (1493) necnon IULII II (1508), concesso Patronatu supra opus evangelizationis atque novellas Ecclesias in regionibus Latino Americanis, Regnum Hispaniae assumpsit responsabilitatem incrementum procurandi Ecclesiae in Latino America. Regnum obtinebat ius interveniendi in Ecclesiae rebus temporalibus, unde auctoritas Regni determinabat tributa accipienda sive ab Ecclesiis ex parte populorum sive a Regno ipso. Immo, ut opus evangelizationis procedere posset, privilegia etiam concessa sunt Regibus quoad nominationem episcoporum, ordinationem Ordinum religiosorum in regionibus, quoad constructionem ecclesiarum, quoad regimen operum piorum, constitutionem capellaniarum, quoad alias quoque functiones consideratas utiles vel necessarias pro evangelizatione.

Collaboratio inter Ecclesiam et Statum benefica ostendebatur pro utraque parte. Ad Ecclesiam quod attinet, pondus responsabilitatum ordinis temporalis minus remanebat, dum mediis gaudebat ut in amplissimo territorio implere posset responsabilitates missionarias. Ipsum Regnum curare debebat de numero et qualitate missionariorum qui ad tam ingens opus erant necessarii. Status, por parte sua, praeter beneficia oeconomica atque politica quoad subiectionem illarum terrarum illorumque populorum, libertate maxima fruebatur in ordinandis ipsis circumscriptionibus ecclesiasticis earumque actione non stricte absoluteque spirituali.

Ad nostram concretam rem, scilicet de tenendis libris paroecialibus, attentionem iterum convertentes, Regia dispositio 10 maii anni 1554, determinabat sacerdotes «doctrinarios», tenere debere libros bap-

tismorum atque defunctorum, quorum testimonium quotannis mittendum erat Vicem Regis tenentibus aut respectivis Gubernatoribus, simul cum indicibus atque cum relatione censuum⁷.

Anno 1583, «Schedula» regia ad Vicem Regis gerentem in «Nova Hispania» missa, urgebat necessitatem accurate scribendi defunctiones indigenarum, non modo ut accurate constaret de numero eorum qui tributa solvere debebant, sed etiam ad vitandas vexationes a iudicibus qui secus facile de his numeris speculabantur. Adhuc «Schedula» regia diei 27 martii anni 1606 praescribebat:

Decet ad rectam rationem et causa tributorum indigenorum ut vitentur sumptus et fraudes proinde rogamus et commendamus archiepiscopis, episcopis, praelatis regularibus indiarum nostrarum ut clerici et religiosi, ministri doctrinae, habeant libros in quibus inscribantur omnes nati et baptizati et alium librum pro defunctis; omnia haec nostris virregibus, praesidibus et gubernatoribus mittantur, fideliter testata; insuper census vel indices in hebdomada majore facti, confessionum, authentice et veraciter, sub excommunicatione⁸

Propter incrementum paroeciarum, necessarium ostendebatur ut illae regiae dispositiones, determinationibus administrativis applicarentur, atque, ex earum dispositione negligentia, facile sequebatur ut multiplicarentur querelae ante magistratus ecclesiasti-

⁷ Cf. Recopilación de las Leyes de los Reinos de Indias, lib. I, tit. 13, lex 15. «Dispositio» continebatur in documento quod «Cédula» (= Schedula) tunc temporis appellabatur. «Doctrinarij» appellabantur presbyteri, religiosi, vel etiam laici qui munus «Doctrina» obtinebant. Lingua hispanica «doctrineros» et «Doctrina».

⁸ Leyes de Indias, l.c. in nota praecedenti.

cos vel civiles, propter sequelas quae ex incertitudine casuum producebantur. Etenim, agnoscendum est, non raro accidisse parochos negligere accuratas adnotationes in variis libris paroecialibus. Dispositiones auctoritatum urgebant ut separatim tenerentur libri iuxta «qualitatem» personarum, ita ut clare constare posset de nobilibus, indigenis, servis, eorum mixti generis, etc.

Sic exempli gratia, die 20 septembris anni 1778, Episcopus Marianus Marti, munus habens visitoris ecclesiastici, decrevit ut in singulis paroeciis servarentur quinque distincti libri, scilicet duo libri baptismorum et matrimoniorum, unus confirmationum, unus defunctorum, unus tandem «de statu animarum». Auctoritates Caracas, die 12 ianuarii anni 1790 proponebant Episcopo dioecesis Mérida ut, iuxta «Schedulas» regias, urgeret parochis omnibus suae dicionis ut dispositiones observarent adnotandi libros baptismorum, separatos quidem, iuxta «qualitatem» personarum, ita ut distincti haberentur libri pro natis «purae stirpis» eorumque filiis, sive erant famuli sive non, omissa denominatione «servorum». Alius autem liber tenendus erat pro natis ex genere sive nigro, sive indigena sive mixti generis, et ita ut omnino accurate hae distinctiones in libris constarent⁹.

Re quidem vera, multiplicabantur delationes vel querelae, quarum solutio, deficientibus accuratis do-

⁹ ANTONIO RAMON SILVA, Documentos para la Historia de la Diócesis de Mérida. Tomo I. pp. 222-223, Archivo General de Indias (AGI), Caracas, 309.

Nati ex mixto genere, scilicet de parentibus stirpis albi coloris et nigri aut indigenae, lingua hispana dicebantur «mulato», «zambo» (ex albo vel alba et nigro vel nigra), «mestizo» (in genere de natis ex mixtis generibus).

cumentis, difficillime salva iustitia inveniri poterat. Sic, exempli gratia, quaedam Josefa Naranjo, quae matrimonium contrahere cupiebat, atque stirpem nobilem allegabat, tanquam filia parentum ex insulis Canarias, dum eius baptismus constabat ex libro communi, illorum qui stirpis erant mixtae, atque ex famulis vel servis.

Anno 1814 «Schedula» regia, consideratis crebris delationibus, coram «Consilio Indiarum», contra parochos eo quod negligerent adnotationes baptismales aut matrimoniales, spernendo auctoritatum dispositiones, urgebat iam data praescripta¹⁰. Sic urgebat varias auctoritates civiles et religiosas, duces, vices regis gerentes, archiepiscopos et episcopos, aliosque in responsabilitate constitutos, ut Concilium certiorum facerent de natura librorum, de praxi annotationum, illisque recordabatur sive fundamenta pro praxi urgenda sive normas concretas servandas.

Hanc «Schedulam» sequentes archiepiscopi México, Cuba, Caracas, singulas auctoritates sub eorum dicione certiores faciebant de his dispositionibus. Sic Ordinarius Caracas, die 11 iulii 1815 urgebat usum duorum librorum pro baptismis adnotandis, scilicet pro filiis purae stirpis atque pro filiis nigri aut mixti generis. Hoc ultimo in libro, per aliquod tempus, annotabantur etiam baptismi famulorum et servorum cuiuscumque stirpis, etiam illorum albi coloris. Immo in pagis, ruri, unicus liber adhiberi solebat¹¹.

¹⁰ AGI (cf. nt. 9), Indiferente general, 1.534.

¹¹ L.c., cf. notam praecedentem.

Praecipuae dispositiones dioecesis Mérida de Maracaibo

ALONSO VÁSQUES DE CISNEROS, annis 1619-1620, ex auctoritate dicionis Santa Fe, visitationem instituit circumscriptionum in quibus includebatur posterior dioecesis Mérida, praesertim «Doctrinas» atque pagos, cum praecipua intentione prospiciendi incremento paroeciarum, animadvertens plerumque indigenas carere ecclesiis consentaneis, immo frequenter mori absque baptismo, vel confessione, et carere sepultura ecclesiastica. Decevit ipse ut designarentur parochi pro unoquoque pago, urgendo ut ii obligationem intelligerent tenendi libros baptismorum, matrimoniorum atque defunctorum, clare adnotando diem actus, nomina contrahentium matrimonium, nomina patrinatorum baptismi, locum originis et «Commendationis» si ageretur de extraneis loco. Initio cuiusque libri recensio vel index faciendus erat, in visitationibus elaboratus, de numero christifidelium¹².

Fructus huius visitationis in certis locis productus est ita ut, in illis, diligenter inciperetur curare de libris paroecialibus. Visitatores posteriores MODESTO DE MELER et DIEGO BAÑOS Y SOTOMAYOR, 1655-1657, rata habuerunt ea quae disposita fuerant a VÁSQUEZ DE CISNEROS de libris paroecialibus, et quidem, prout ex fontibus documentalibus eruitur, ipsi Visitatores usi

¹² AGI (cf. nt. 10), Santa Fe, 20. «Commendationes» (= hispanice «Encomiendas»), intelligebantur terrae «commendatae» alicui «Commendatario» (hispanice «Encomendero»), qui curare debebat non tantum de administratione temporali et progressionem illorum qui sibi commendati erant, cum proprio commodo temporali ex redditibus ex cultura terrae, sed praesertim responsabilitatem habebat evangelizationis.

sunt libris paroecialibus ad elaborandos indices incolarum.

Dioecesis Mérida iam erecta erat anno 1788. Duobus post annis, 1790, iam cognoscimus dispositiones eius Episcopi JUAN RAMOS DE LORA, urgens accuratam praxim de conscribendis libris paroecialibus, iuxta «Schedulam» regiam anni 1790¹³.

Post fere 15 annos, mense iunio anni 1803, Episcopus SANTIAGO HERNÁNDEZ MILANÉS, disposuit ut parochi et capellani ecclesiarum, recognoscerent libros ad adnotandas visitationes, indices paroeciales, bene servata distinctione personarum in provincia degentium. Disposuit adhuc locum ad archivum seu tabularium pro libris servandis, ut iam praescripserat primus Episcopus RAMOS DE LORA anno 1785¹⁴. Diebus 1 iunii anni 1804 iterumque die 21 octobris anni 1807 praescripsit idem Episcopus HERNÁNDEZ MILANÉS modum scribendi adnotationes¹⁵.

Hic Episcopus HERNÁNDEZ MILANÉS, adhuc de novo instabat, anno 1811, in necessitate se conformandi cum dictis praecedentibus dispositionibus praescriptis a visitoribus ecclesiasticis. Die Nativitatis Domini huius anni, in sacristia Episcopatus, libros recognoscere intendebat, praecipiebatque ut adhiberentur, sub poena pecuniaria.

Proh dolor, sequens annus 1812 accidit terremoto, et etiam acciderunt dilapidationes occasione belli independentiae, quibus de causis multa bona ecclesia-

¹³ ANTONIO RAMON SILVA, o.c. (cf. nt. 6) I, pp. 222-224.

¹⁴ Archivo Arquidiocesano de Mérida, Ejido. Gobierno. Libro 1 (1803-1812), fol. 44.

¹⁵ ANTONIO RAMON SILVA, *Op. cit.* (cf. nt. 6) T. II, pp. 33-37 et 142-143.

rum disparuerunt, et etiam documenta et libri paroeciales in multis locis, destructa sunt. Ideo Episcopus RAFAEL LASSO DE LA VEGA, die 12 septembris anni 1816, praecipiebat christifidelibus, qui aliquos ex illis libris paroecialibus apud se conservarent, ut illos restituerent ecclesiis intra spatium 10 dierum¹⁶.

Procedente tempore, Episcopi censuerunt necessitatem adnotandi in libris paroecialibus etiam omnes eventus quotidianos, seu quasi historiam paroeciarum. Sic Episcopus JUAN HILARIO BOSSET (1841-1873) disposuit ut in unaquaque paroecia haberentur, praeter traditionales libros, etiam liber circa gubernium, circa publicationes matrimoniales, circa confirmationes, census, statum animarum, etc. Tales libri accurate conscribendi erant, atramento quidem indelebili, omnibus litteris (seu omissis abbreviationibus), vitando diligenter errores, diebus adnotationum litteris (non numeris) plene indicatis¹⁷.

ANTONIO RAMÓN SILVA (1895-1927) dispositiones singulariter ponderatas pro sua statuit dioecesi. Districte prohibuit presbyteris ne libros paroeciales extraherent ex tabulariis eosque traderent functionariis civilibus, sed tantummodo tradi poterant exemplaria documentorum transcripta in praesentia parochi. Presbyteri poterant exemplaria adnotationum ex libris paroecialibus tradere, quae tamen effectus civiles non habebant. Hae decisiones Episcopi SILVA respondebant circumstantiis historicis, scilicet tunc cum dubitationes exurgebant circa veritatem notitiarum ex libris paroecialibus, dum Praeses reipublicae, ANTONIO GUZMÁN BLANCO ordinaverat anno 1783 civiles adnotationes. Sed ab illo anno adnotationes ecclesias-

¹⁶ AAM. Ejido. Gobierno. Libro 1 (1803-1812). Fol. 76.

¹⁷ ANTONIO RAMON SILVA, *op. cit.* (nt. 6) Tomo IV, p. 35.

ticae subsquentes admittuntur ut probationes pro actibus civilibus. Illae praecedentes vero admittuntur cum valore praesumptionis et suppletorio ad probandos civiles actus, in causis aut litigiis¹⁸.

Episcopus SILVA, anno 1908 dolebat de deplorando statu archivi Curiae Episcopalis, propter calamitates quas recenset, ut terremotum anni 1812 qui omnino destruxit domum episcopalem, decretum diei 21 septembris anni 1872 supprimens seminaria ita ut libri disperderentur, alium terremotum anni 1984 ex quo armaria diruta sunt et documenta sparsa et derelicta exposita sub diu, sub sole et pluviis. Episcopus ipse SILVA curavit colligere documenta iam ab initio erectionis dioeceseos (1778) in plura volumina¹⁹.

Iam nostro tempore, adhuc duae habentur dispositiones archiepiscopales, circa documenta paroecialia, scilicet die 9 iunii 1970 archiepiscopus ANGEL PÉREZ CISNEROS decretum emissit iubens parochos omnes libros paroeciales iam ante annum 1900 custodire in archivo archiepiscopali. Dein Archiepiscopus MIGUEL ANTONIO SALAS decrevit translationem archivi archidioecesani ad domum archiepiscopalem atque ordinavit regimen internum huius archivi, eiusque custodem nominavit²⁰.

¹⁸ JOSE LUIS AGUILAR GORRONDONA, *Derecho civil (personas)*, p. 104.

¹⁹ ANTONIO RAMON SILVA, *op. cit.* (nt. 6) T. I. pp. 9-11; 22-23; T. VII, 9-37.

²⁰ EDUARDO CARDONA MEYER, «El archivo Arquidiocesano de Mérida», pp. 289-296. *Boletín del Archivo Arquidiocesano de Mérida*, n. 1, p. 30.

Pondus et magnitudo adnotationum paroecialium

Initium adnotationum paroecialium iam a summo medio aevo habetur in Europa christiana, et datis dispositionibus Concilii Tridentini ad reliquas partes orbis christiani extenduntur²¹.

Ut patet, iam ab initio ordinationis colonialis in America Hispana, usus Hispaniae transferebantur ad novas terras, et mediantibus legibus Regni pro Indiis, etiam normae Concilii Tridentini, quae paulatim a legislatione locali applicabantur et complementum accipiebant.

Scopus adnotationum paroecialium, sub aspectu spirituali, unus praecipue erat, scilicet cognitionem praebere tam numeri quam qualitatis catholicorum, seu eorum fidelitatem quoad fundamentalia praescripta qualia sunt ea quae se referunt ad receptionem sacramentorum aut praeceptum Paschatis, necnon ad media providenda pro conservatione fidei, pro roborandis catechumenis, et ad amotionem periculi labendi in heresim. Visitatores ecclesiastici certe considerabant adnotationes paroeciales sub aspectu praecipue administrativo, ita ut pateret vita cuiusvis communitatis christianae, cuius praecipuum signum habetur in

²¹ Refferimus studia, ANA HILDA DUQUE, *El Registro Parroquial de San Buenaventura de Ejido, Mérida*, 1981; *Fundamentos y procedimientos jurídicos de los archivos parroquiales*, Mérida, 1985; *Padrones y censos de Mérida*, Mérida, 1987.

Videatur, CLAUDE MORIN, «Los libros parroquiales como fuente de la historia demográfica y social novohispana», en, *Historia Mexicana* (México) 21 (3) Enero-Marzo 1972, p. 389, P. GUILLAUME y J.P. POUSSOU, *Demographie historique*, Paris, 1970, pp. 72-76. ELIO LONDOLINI, «Los libros parroquiales y de estado civil en América Latina», en *Boletín General de la Nación* (Caracas) LXX (238-239) 1980, pp. 6-39.

praxi sacramentorum, praesertim baptismi et matrimonii, necnon in exequiis celebrandis. Non deerat certe intentio etiam cognoscendi et certam reddendi retributionem pecuniariam seu taxam solvendam sive pro ipsis paroeciis sive pro functionariis civilibus.

Aspectus etiam socialis momenti harum adnotationum recoli debet, siquidem tam Ecclesiae quam Statui medium iuridicum constituebant certitudinis quoad matrimonia celebrata atque defunctiones fidelium et civium. Revera adnotatio baptismi, ex qua etiam datum (approximativum saltem sed quidem accuratum) diei nativitatis habebatur, fundamentale testimonium pro vita sociali et iuridica tam ecclesiastica quam civilis personae habebatur. Sic etiam adnotatio defunctionum utilis evadebat pro novo matrimonio ineundo in casu viduitatis, necnon testimonium necessarium pro quaestionibus hereditariis componendis.

Notitiae praeterea ex archivis obtentae inservierunt non modice ad chronologiam stabiliendam in studiis genealogicis, ethnicis, familiarum. Archivi paroeciales fontes sunt pretiosi atque praecipui pro reconstitutione historica eventuum societatis ecclesialis et civilis, propter abundantes notitias ad complementum vel intellectionem eventuum ecclesialium, socialium, civilium, oeconomicorum, politicorum temporum. Uno verbo ad meliorem cognitionem historiae regionis atque micro-historiae.

Non parum conferunt illae notitiae ad cognitionem magnitudinis, structurae, incrementi populorum, datis elementis fundamentalibus pro quacumque societate matrimoniorum, natalitatis, mortalitatis²².

²² C. MORIN, *op. cit.*, p. 392. BASILIO VICENTE DE OVIEDO opere eius notabili *Cualidades y riquezas del Nuevo Reino de*

Iure merito adnotationes paroeciales considerantur et habentur documenta suppletoria adnotationum civilium, quae vel nondum exsistebant, vel non accurate conscriptae sunt, vel etiam perierunt²³.

† BALTAZAR E. PORRAS CANDOZO

Granada distribuit curatos in quinque species secundum emolumenta librorum paroecialium.

²³ «Conviene hacer notar que la política archivística de la Iglesia se ordena en esta primera etapa de los archivos a dar a los fondos documentales una funcionalidad práctica. El archivo y sus fondos están al servicio del Cabildo o de la entidad a la que pertenecía, son su memoria documental y la prueba escrita de sus derechos. No se contempla en absoluto el servicio a la investigación pública. Este aspecto tan interesante hoy y considerado como especial a la función propia de los archivos, no es tenido en consideración hasta el siglo XIX. Hay que esperar el año 1880, en él LEÓN XIII abre los riquísimos fondos documentales del Archivo Vaticano, con ciertas reservas temáticas y limitaciones cronológicas, a la investigación pública». PEDRO RUBIO MERINO, «Tipología documental en los archivos parroquiales», en, Diputación Provincial de Sevilla. Archivística. Estudios Básicos, Sevilla 1981.